



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica octava

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Dominica VIII. post Pentecosten. IIII

solatione cœlesti videbuntur repleta.
O praxin! ô exercitium agonizantibus
saluberrimum, uti & suavissimum!

Dominica VIII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

Diffamatur hodie famulus, & inde
incidit in disgratiam Domini sui.
Ecce! quanta vis in lingua, modica car-
nis portiuncula! jam audio Bernardinum
Senensem exclamantem: „ O lingua ne-
„ quam! tu charitatem extinguis: tu de-
„ primis justos: magnificas impios: tu
„ fraticidia, parricidia, & cæteras cru-
„ delitates virulentâ impietate commit-
„ tis. Fili! premamus labia, si loqui re-
nuant sancta!

Instructio meritoria.

Plerumque judicantur, traducuntur,
& examinantur dicta, ac facta aliorum:
ad propria cæcutimus ut talpæ. Fili!
non sic ampliùs. Aliena approbemus
illô charitatis principiô: quod tibi non
vis fieri, alteri ne feceris. O tesseram &
cordibus, & cubiculis affigendam! in
satisfactionem omnis in loquendo no-
stræ

stræ incuriæ recitemus speciale hodie
Rosarium cum 35. osculis terræ in hono-
rem Verbi Incarnati. O Verbum Dei!
te laudent, te glorificent discursus mei!

II.

R*Edde rationem villicationis tuæ.*
Fili! est & ipse vocatus in domum
Patris Cœlestis, tanquam servus fidelis.
Dedit talenta, dedit & dona plurima.
Attendat, ut illis sibi emat Dei gloriam,
suam, & aliorum animam. Sic enim
semper parati inveniemur, ut non tam
severo Judici, quàm Patri respondeamus
quondam clementissimo. Operemur
bonum! mors pulsac!

Instructio meritoria.

Abusum villicationis, seu beneficio-
rum, ac talentorum ut compensemus,
animas in purgatorio specialiter nobis
habeamus commendatas, quarum si de-
bita sacris exegerimus suffragiis, dele-
bunt & illæ nostra. Eâ enim mensurâ,
quâ mensi fuerimus, remetietur & no-
bis. Misereamur proin, & per 8. dies
Vesperas ex Officio Defunctorum quo-
tidie

tidie dicamus. Frater adjuvet fratrem!
aut frater non est.

III.

Jam non poteris villicare. Cui loquitur Deus? Amice! vobis, & mihi. Omnia profectò tempus habent. Veniet tempus, ubi amplius non poterimus operari. Agendum est modò, quod egisse expedit æternùm. Quis jam perdere audebit tempora? quis indulgere facetiis, insulsis nugis, aut inconvenientibus levitatibus? absint hæc à filio. Ad majora natus & vocatus est. Audeat generosiora!

Instructio meritoria.

Qui sanctè, & beatè vivere intendit, sollicitudinem omnem impendat distributioni temporis diurnæ. Huic novam intentionem vel maximè sumptò in refectorio prandiò adeuntes Sanctissimum præfigere assuescamus. Non pro libitu invertamus Ordinem vitæ, imò factæ sine rationabili causa mutationis, aut interruptionis pœnam à nobis exigamus in die S. Confessionis. Sic reviviscant amissa tempora.

Do.

Dominica IX. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

AH! fili mi! quid hoc? Jesus plorat. Videt Jerusalem: Et flevit super illam. Adeò hujus civitatis ingraticudo, & inconstantia displicuit Dei Filio. O si intueatur & nostram! an non renovabitur dolor? & id quoties factum hætenus?

Instructio meritoria.

Abstergamus lacrymas, & in compensationem ingraticudinis nostræ coram Sanctissimo nos abscondamus, dictaque prostrato corpore de offensis humili culpâ *Litanias majores* subjungamus. Humilitate, & oratione placabitur offensus, & contristatus amor.

II.

HEu! quàm tremendas ex hodierno Evangelio percipimus minas! *Venient dies in te*, ait Christus ad Jerusalem: *Circumdabunt te inimici vallo, & coangustabunt te undique.* Fili! quando hæc erunt? dum dies venerit mortis. O diem horrendam! & tamen vix memores